

**CONSELLO DA CULTURA GALEGA
GALLAECIAE MONUMENTA HISTORICA**

472

1168/11/24. San Xusto de Toxos Outos.

O presbítero Ordoño Páez vénelle ó mosteiro de Toxos Outos a súa parte na igrexa de S. Vicente de Augas Santas por tres marcas de prata.

B.- Tombo, f. 133r.

Carta de Ordonio Pelagii, presbitero, de quarta ecclesie Sancti Vincencii de Aquis Sanctis cum bonis suis.

Ea que uenduntur aut donantur uel ecclesiis testantur, et cetera. Quo circa ego Ordonius Pelaiz, presbiter, simul cum omni mea voce propria mea uoluntate nemine cogente vobis abbati domno Petro monasterii Sancti Justi et ceteris monachis presentibus et futuris in eodem monasterio Sancti Iusti seruentibus facio kartulam testamenti seu uendicionis de quarta integra ecclesie Sancti Uincencii de Aquis Sanctis cum omnibus bonis suis et directuris quam ego emi meo precio et ueridicis cartis quas in presenti uobis et monasterio uestro imperpetuum habituras cum eadem ecclesia irreuocabiliter nunc trado; quam videlicet quartam ecclesie ego inuadiaueram pro marcis tribus et uos de uestro thesauro persoluistis, et in presenti eandem ecclesie III^{am} recipitis imperpetuum possidendam sicut in scriptis mee ganancie aratii habetis. Ita ab hodierno die quod est era I^a CC^a VI^a et quotum VIII^o kalendas decembbris sit prefata III^a ecclesie de iure et potestate mea abrasa et in uestro dominio et uestri monasterii tradita atque confirmata euo perhenni et secula. Si quis autem uos inquietare temptauerit super hoc meum spontaneum factum quisquis fuerit pariat uobis et monasterio uestro in duplo quantum incontempsam miserit et insuper solidos Dos; et hoc meum factum maneat semper firmum. Facta kartula testamenti et uenditionis hic in Sancto Justo a Petro scriptore notata.

Ego Ordonius, presbiter, hanc scripturam legitime factam quam fieri iussi manu mea roboro.

Q. p. f.: Petrus, ts. Johannes, ts. Arias, ts. Munio, ts. Didacus, ts. Didacus, presbiter, conf. Arias, presbiter, conf. Petrus, presbiter, conf.

Petrus notuit et conf.